



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Quidnam sit Situs, & quomodo ab Vbi differat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

Phyſicam pertinet, cum qua coniuncta eſt alia, an motus locales corporum omnes ſint eiſdem ſpeciei, & ideo ab his quaſtionibus nunc abſtinemus. Probabilius tamen videtur omnia hæc Vbi eſſe eiſdem ſpeciei, diſſerreque ſolum, vel per reſpectus ordinis inter ipſa corpora ſeu partes eiſdem corporis, quomodo vnum corpus dicitur eſſe ſurſum, aliud deorſum, vel per reſpectus ad ſubiectum, quomodo dicitur locus ſuperior vel inferior eſſe naturalis vel violentus.

De proprietatibus ipſius Vbi.

X. Vltimo facile etiam eſt ex dictis proprietates ipſius Vbi colligere. Quarum prima ac præcipua eſt quod ſit immobile: quam in ſuperioribus declaratum reliquimus. Et ex ibidem dictis colligere licet, ſicut omne Vbi immutabile eſt ſecundum locum, ita eſt conuerſo omne Vbi eſſe corruptibile, quantum eſt de ſe, quia ita ipſum eſt immutabile, vt ſemper ſit in ſubiecto mutabili: per mutationem autem localem ſubiecti corrumpitur ipſum Vbi. Et radix huius eſt, quia omne ſubiectum Vbi, habet finitum, & limitatum Vbi, & inde prouenit vt mutare illud poſſit & conſequenter vt ipſum Vbi poſſit corrumpi.

XI. *Vbi in ſeſo ne caret.* Ab his duas proprietates aſſignant Gilbert. Albert. & alii, negatiuas, & ſere communes exteris prædicamentis extra qualitatē, nimirum non poſſe intendi nec remitti, & non habere contrarium. Et in priori nulla eſt difficultas, quia in illo modo præſentis nulla eſt latitudo quoad intentionem: quoad extensionem vero in vniuerſum ſere dici poteſt, omne Vbi habet elatitudinem, & ſuſcipere magis vel minus, vt ſatis in ſuperioribus declaratum eſt, tam in loco corporum quam ſpirituum. Dico autem ſere, quia excipi poteſt locus indiuiſibilis, vel puncti vel quem angelus habere poteſt per præſentiam ad ſolum punctum, iuxta probabilem opinionem. Sed non oportet exceptionem addere, quia hoc ipſum Vbi indiuiſibile, eſt ſuo modo principium Vbi extenſi per ſpatium, & ita ſub illo continetur.

XII. *Vbi quo ſen ſu aſſenſu caret conſtratio.* Quod autem ſpectat ad alterā proprietatem, recolendum eſt ex ſuperius dictis diſp. 45. contrarietatem, etiam vt diſtinguitur ab oppoſitione priuatiua, aliam eſſe propriiſſimā, quæ verſatur inter formas ſub eodem genere maxime diſtantes, aliam vero eſſe minus propriam, quæ reperitur inter terminos alicuius latitudinis, quatenus ab vno ad alium ſucceſſiue poteſt tranſitus fieri quomodo in augmentatione minor & maior quantitas cenſentur termini contrarii, & in intentione gradus remiſſus & intenſus. Quando ergo carentia contrarietatis dicitur proprietates Vbi, intelligendum eſt de priori & propriiſſima contrarietate, & ita eſt reſoluta, præſertim cum dictum ſit, omnia Vbi, quæ naturaliter poſſunt aſſumere idem ſubiectum, eſſe eiſdem ſpeciei. At vero poſterior contrarietas inter Vbi reperitur, nā motus localis eſt propriiſſimus motus: omnis autem motus ſit inter terminos poſitiuos & contrarios, ſaltem illo modo, vt patet ex Ariſt. lib. 5. Phyſ. c. 2. text. 10. ergo terminus per ſe motus localis habet alium ſibi contrarium: terminus autem primarius ac per ſe motus localis eſt ipſum Vbi, vt ſupra oſtenſum eſt, & idem Ariſt. docet ſupra c. 1. ergo Vbi habet contrarium, ſaltem illo poſteriori modo. Quia contrarietas in hoc ſolum conſiſtit, quod vnum vbi formaliter repugnat alteri & inter ea eſt quædā latitudo ſpatii, in qua extrema Vbi hanc habent oppoſitionem, quod dum ab vno receditur, ad aliud acceditur, & e conuerſo. Qui modus oppoſitionis inueniri poteſt etiam inter ea quæ ſunt eiſdem ſpeciei, vt ex dictis coſtat. Hic autem inſinuabat ſe quaſtio, an inter plura Vbi, præſertim corporalia tanta ſit repugnantia, vt nec per potentiam Dei abſolutam poſſint ſimul eſſe in eodem ſubiecto, quod eſt quaſtio.

Tom. II. Metaphyſ.

ere, an omnino repugnet idem corpus eſſe ſimul in duobus locis, ſed hanc quaſtionem ſuſe tractaui in tom. 3. tertiæ partis.

DISPUTATIO LII.

De ſitu.

Situs propinquiſſime adiacet & conuenit cum ipſo Vbi, & ideo præſens diſputatio conuenienter præcedenti ſuccedit, quam breuiſſime expediemus, quia vt ex diſcurſu eius coſtat, hoc genus nihi rei addit ſuperioribus, ſed quandam prædicamentalem denominationem, quæ breuiſſime explicari poteſt.

SECTIO I.

Quidnam ſit ſitus, & quomodo ab Vbi diſſeratur.

Diſſicile ſane eſt explicare quidnam ſitus ſit, ita vt diuerſum genus entis à reliquis conſtituere poſſit. Vox enim ſitus trib. modis accipi poſſe videtur. Primo vt ſignificat generatim locum illum extrinſecum in quo res ſita eſt, qui non eſt forma vel accedens rei, ſed quali ſuſtentaculum eius, vt ſi dicas portionem terræ, in qua arbor plantata eſt, eſſe ſitum eius, & ſic per ſe notum videtur ſitum non conſtituere prædicamentum. Secundo ſignificare poteſt quandam relationem ordinis, vt eſſe ſurſum vel deorſum, aut in priori, vel poſteriori loco, ſeu in digniori, vel minus digno, quæ relatio quando realis eſt, ad prædicamentum ad aliquid ſpectat. Tercio modo ſignificat poſitionem partium in ordine ad locum: & in hac ſignificatione cenſetur conſtituere hoc prædicamentum, eandem tamen difficultatem habet, quia in hac etiam poſitione nihil interuenire videtur quod ad alia prædicamenta non pertineat, quia in poſitione partium in ordine ad locum aut conſideratur Vbi vniuerſumque partis, & hoc non eſt niſi partiale Vbi totius, vnde ad idem prædicamentum reducitur tanquam quid incompletum: aut conſideratur reſpectus, qui inde conſurgit inter partes ipſas, & ille pertinet ad prædicamentum relationis: vel conſideratur integra diſpoſitio ſubiecti, quæ ex partibus ſic ſituatis conſurgit, & illa diſpoſitio vel nihil eſt, niſi integrum Vbi totius, vel ad ſummū addit figuram quandam ipſiusmet Vbi ad prædicamentum qualitatis pertinentem. Nihil ergo noui apparet quod poſſit eſſe ſitus. Et confirmatur, nam duplex eſt poſitio partium quantitatarum: vna dicitur eſſe in toto ſecundum ſe ſeu in ordine ad ſe, vt patet ex Ariſtotele in Prædicament. de quantitat. quæ in hoc conſiſtit, quod in ipſo toto quædam partes ſunt extremae, & quædam intermediae, & quædā conſideratur vt centrum aliarum, ac denique vna poſt aliam in toto ipſo: alia vero eſt poſitio partium in ordine ad locum, quæ conſiſtit in ſimili coordinatione earum ſecundum Vbi intrinſecum, nam extrinſecus locus non eſt ſimpliciter neceſſarius ad hanc partium poſitionem. Sed prior poſitio partium non addit ſupra quantitatem niſi relationem partium, & ideo ſecundum id quod eſt abſolutum, ad idem prædicamentum quantitatis pertinet: ergo eadem proportionem ſitus præter relationes nihil aliud dicere poteſt, quam ipſum Vbi.

Prima ſententia quod ſitus ſit denominatio extrinſeca, reſcinditur.

I. In hoc prædicamento explicando non habet locum ſola denominatio intrinſeca, in qua aliqui ponunt omnes rationes ſex poſteriorum prædicamentorum: quam ſententiam generaliter tractat, & late defendit Fonſeca 5. Metaphyſ. ca. 15. quaſt. 7. nihil

Hhh 2

tamen

II.

tamen speciale dicit de hoc predicamento, quamquam de aliis, & maxime de Vbi difficultatem senserit. Quæ tamen non minor est in situ, nam denominationes quæ ad hoc predicamentum pertinere censentur, nullo modo possunt alicui formæ vel corpori extrinseco attribui, ut satis indicavit Aristoteles in predicamento. capite de sex ultimis. dicens denominationes huius predicamenti sumi à positione: positio autem non est denominatio extrinseca quod in particulari clarius patet. Ut verbi gratia, sedere est denominatio huius predicamenti quæ non sumitur à sede in qua quis sedet, sed à sessione, quæ est interna quædam dispositio ipsius corporis sedentis: similiter stare quis dicitur non ab aere circumferibente, neque à terra, verbi gratia, in qua forte stat: posset enim eodem modo contingere terram, etiam si non staret, sed aliam dispositionem corporis haberet, & quamvis nullus esset aer circumstantis homo vero esset stans aut sedens: præter hæc autem fingi non potest aliquid extrinsecum, unde illa denominatio sumatur.

Sententia, quod situs sit relatio, non probatur.

III.

Quapropter si in aliquo ex his predicamentis probabiliter habet opinio Scoti quod in relatione consistant, maxime quidem in hoc, quia nihil aliud intrinsecum videtur posse excogitari, ut in ratione dubitandi propositum est. Et faveat Aristoteles in capite de Ad aliquid, ubi situm numerat inter ea quæ sunt illius predicamenti, & positionem illud vocat, & ponit exempla, *recubatio, statio, sessio*: & postea in cap. 9. de sex ultimis predicamentis, dicit situm esse, nihil aliud esse, quam denominativum ipsum, sumptum à positione. Declarans situm in presenti non esse nomen abstractum, sed concretum, cuius abstractum erit situatio, vel positio, quam dicit Aristoteles esse relationem.

IV.

Nihilominus tamen hæc sententia, si intelligatur, de relatione predicamentali, non potest probari, quia alias non constitueretur novum predicamentum: si vero intelligatur de relatione transcendentali, erit fortasse vera, sed non declarat quomodo sit diversa ab Vbi: si autem intelligatur de alia ratione distincta ab his, quæ extrinsecus aduenientes vocantur nos talem relationem non admittimus, ut supra. disp. 43. tractatum est. Neque in presenti apparet qualis possit esse hæc relatio extrinsecus adueniens, nam si sit relatio ordinis naturalis partium inter se, hæc non extrinsecus nascitur, neque per aliquam actionem fit, quæ per se ad illam tendat, sed intrinsece sequitur positis partialibus Vbi omnium partium, in quibus illa fundatur: unde nulla actio est ad illam necessaria præter motum localem, quo fit tale Vbi. Vel est relatio totius ad suas partes, & partium ad totum: & de hac eadem est ratio, idemque ostendi potest eodem discursu. Vel denique est relatio totius ad aliquid aliud extrinsecum & talis relatio aut nulla est simpliciter necessaria quod infra videbimus, aut etiam illa intrinsece consequitur ex talibus Vbi utriusque corporis continentis & contenti.

V.

Neque Aristoteles huic faveat sententiæ, nam eo modo quo dicit positionem esse relationem, dicit etiam illam pertinere ad predicamentum Ad aliquid. Quo autem sensu Aristoteles fuerit locutus, late tractat Caietanus in Predicamentis, cap. de sex ultimis. Sed ommissis aliis modis, quos ibi refert & improbat, vera responsio est, Aristotelem numerasse positionem inter ea, quæ sunt ad aliquid, non ex propria sententia, sed iuxta primam definitionem relationum, quam prius posuit in illo predicamento cum omnibus quæ ex illa sequebantur, & postea illam reiecit: intellexit ergo esse respectum secundum dici vel transcenden-

talem & ab illo postea dixit sumi denominationes huius predicamenti. Quis autem ille respectus sit, & quomodo ab aliis differat, nunquam explicuit.

Reiicitur opinio tertia, quod situs sit absolutum cum respectu.

Potest ergo ad hoc predicamentum accommodari alia opinio, quam aliqui de sex omnibus defendunt, scilicet quod dicat absolutum simul cum respectu, & absolutum sit vel locus, extrinsecus modus ipsius Vbi, respectus autem sit habitudo ad rem aliquam in qua alia sita esse dicitur, ut v.g. sedentis ad sedem, stantis ad rem in qua stat, vel aliquid simile. Sed hæc sententia primum excluditur ratione generali, quia vel loquitur de respectu predicamentali, vel transcendentali: si de transcendentali, etiam Vbi dicit respectum transcendentalem, neque explicatur quem alium dicat situs, nam illi respectus qui sunt ad res extrinsecas vel continentes, aut è converso continentis ad rem contentam, non sunt transcendentales, sed predicamentales. Si autem sit sermo de relatione predicamentali, illa non potest essentialiter componere formam alterius predicamenti, quia illa non esset compositio per se, sed per accidens, & quia illo modo miscendo formas diversorum predicamentorum, possemus predicamenta in infinitum multiplicare.

Vera sententia, situm esse modum rei.

Relinquitur ergo ut dicamus situm seu positionem esse aliquem intrinsecum modum corporis situati, à quo sic denominatur sedens, aut iacens, vel similis. Quod satis probari videtur à sufficienti partium enumeratione, quia nec necesse est fingere entitatem distinctam, ut satis per se clarum est, neque aliquid aliud relinquitur præter extrinsecum modum reiectis aliis sententiis. Quis autem hic modus sit, & quomodo distinguatur ab Vbi, difficile explicatur. Et quidem ego censeo non esse novum modum ex natura rei distinctum ab ipsomet modo qui est vbi-catio talis subiecti, & omnium partium eius: hoc enim videtur convincere ratio dubitandi superius posita. Et præterea declaratur, nam Vbi & situs respectu eiusdem corporis ita comparantur ut eodem omnino modo fiant, & amittantur, nam qui stat, non fit sedens nisi per motum localem, neque amittit sessionem nisi per alium motum localem, vel totius, vel aliquarum partium. Unde fieri non potest ut in tali subiecto situs separetur à tali Vbi integro, & totali, nec è converso fieri potest ut tale Vbi separetur à tali situ: ergo non sunt modi ex natura rei distincti: nullum enim est indicium distinctionis inter illa, nec eriam occurrit ratio, aut effectus aliquis, propter quem distinguenda sint: imo nec satis potest declarari aut concipi talis distinctio. Atque hanc sententiam quamvis aliter explicatam tenet Fonseca in 5. Metaphysicæ. ca. 7. qu. 2. sect. 4. dicens, etsi populari sensu situs ab vbi distinguatur, tamen si res ad philosophorum normam exigatur, non esse revera distinctum à predicamento Vbi. Quod si solum intendit, hæc predicamenta non distingui per distinctionem in re inter situm & vbi, placet eius sententia, si vero neget habere distinctionem rationis seu in modo predicandi sufficientem ad distinctionem predicamentorum, id non admittimus, neque à recepta sententia recedendum putamus.

Ut ergo hæc duo predicamenta distinguantur, dicere quis posset predicamentum. Vbi non constitui per illum modum intrinsecum, sed per locum extrinsecum, ita ut esse in loco, quod pertinet ad illud predicamentum, sit sola denominatio extrinseca à loco continente: situs vero sit modus ille intrinsecus, quem

quem in tota disput. precedenti declarauimus. Iuxta quam sententiam omnia, quæ in superiori disputatione dicta sunt, ad situm essent accommodanda, exceptis quæ pertinent ad extrinsecam denominationem loci continentis. Quæ sententia posset probabiliter defendi, nos autem illam non sequimur. Primo, quia Arist. semper dixit, proprium terminum localis motus esse Vbi, motus autem localis primo. & per se terminatur ad illum modum intrinsecum. Secundo, quia ille modus in genere sumptus, est communis corporibus & spiritibus, vt declarauimus: situs autem proprie non tribuitur rei spirituali, imo neq. omnibus corporalibus, vt infra declarabimus, cum tamen Vbi proprie omnibus tribuitur. Tertio, quia sola illa denominatio extrinseca essendi in loco continente, non est sufficiens ad constituendum prædicamentum distinctum à reliquis, vt in eadem disput. sect. 2. explicatum reliquimus.

Quomodo situs & ubi ratione differant.

IX. **I**gitur dicendum cenſeo formam situs, seu positionem, quæ dat denominationem huius prædicamenti, esse ipsum Vbi sub diuersa ratione conceptum, ita sicut ad distinguendam actionem & passionem, sufficit distinctio rationis, ita hic sufficit inter situm & Vbi. Constituit autem distinctio rationis in hoc, quod Vbi vt sic solum dicit illum modum quatenus constituit rem præsentem alicubi, & ideo nos semper explicamus ipsum Vbi per relationes distantie, aut propinquitatis, vel intimæ præsentie, quia solum illud concipimus, vt fundamentum earum. At vero situs vt sic dicit illum modum vt denominat, em re ita dispositam in se, dispositione quadam resultante ex locali coordinatione partium. In qua denominatione non attenditur ratio præsentie, nec ordo ad spatium proprie, sed ordo partium inter se: ordo (inquam) non prout dicit relationem prædicamentalem, sed prout est fundamentum eius. Quod satis significauit Arist. 5. Metaph. c. 19. ubi ait, *Dispositio est ordo habentis partes*, & ponens primum membrum, addit, *aut loco*, ubi omnes intelligunt propriam formam huius prædicamenti. Est ergo situs quædam dispositio situalis seu localis conſurgens in toto ex tali partium vocatione: quæ dispositio, quamuis in re non sit alicui distinctum ab illo modo qui est Vbi, à nobis tamen concepitur per modum cuiusdam formæ distinctæ, quæ diuersum modum denominationis & prædicationis habet, quod satis est ad distinctionem prædicamenti em.

X. Et hoc etiam confirmat exemplum de quantitate, nam positio partium in toto, vno modo solum dicit extensionem partium continuarum, & sic pertinet ad differentiam essentialē quantitatis cōtinuæ, & ideo non potest nouam rationem prædicamentalem constituere. Alio vero modo potest illa positio sumi pro dispositione totius resultante ex tali extensione partium, & coordinatione earum in se, & sic illa dispositio habet diuersam rationem prædicamentalem à quantitate, non est tamen alia nisi figura, & multi de hac exponunt tertium membrum dispositionis positum ab Arist. citato loco, quod formam vel (vt alii vertunt) speciem appellat: & ita videtur exponere D. Thom. Ad hunc ergo modum comparatur situs ad Vbi in his rebus, quæ illius sunt capaces. Est tamen discrimen, nam figura est magis distincta à quantitate, quam situs ab Vbi, eo quod quantitas propria & veram realitatem habeat, cuius modus est figura, & separabilis ab ipsa. Vbi autem est tantum quidam modus, & situs est veluti modus eius, & ideo non est in re modus distinctus, sed ratione tantum, vel quia modus non modificatur per alium modum, & procedamus in infinitum, vel quia est ita intrinsecus, vt sit omnino inseparabilis. Atq. hæc sententia sic expolita solum confirmatur impugnatione

Tom. II. Metaphys.

ne aliarum, & à sufficiente enumeratione, & quia ex sola expositione data est per se verisimilis, & consentanea modo concipiendi & loquendi de his rebus, & sine villo inconuenienti.

Solum potest obici, quia homo in vacuo existens non esset capax situs, habet autem Vbi, vt supra diximus: ergo etiam in re sunt hæc duo separabilia: imo etiam concluditur situm non constitui per solam denominationem extrinsecam, cum egeat aliquo extrinseco aut circumſcribente aut sustentante, vel aliquo simili. Antecedens patet, quia si quis esset in vacuo, non posset dici sedere, etiam si in modo sui Vbi haberet eadem dispositionem & quasi figuram, quam nunc habet dum sedet. Similiter etiam esset electo corpore, non posset dici stare, magis quam iacere, nam si attente consideretur corpus iacens aut stans, non differt quoad localem dispositionem, quæ in corpore eius resultat ex positione partium, sed differt tantum in modo quo est dispositus in ordine ad illud corpus à quo sustentatur, quæ diuersitas non posset in vacuo intelligi. Respondeo, verum quidem videri in his denominationibus prout sunt in communi vsu, interdum admisceri extrinsecas denominationes vel habitudines, quamuis illæ non sint, quæ prædicamenta em rationem constituunt. Vt nomen situs etiam est æquiuocum, & interdum, vt dixi, sumitur substantiue pro illo loco, in quo res sita est, & non semper pro loco adæquato, sed pro illa parte terræ in qua res sustentatur, vt si dicamus situm corporis Christi in celo esse illam partem superficiæ connectæ cœli Empyreæ, quam suis pedibus contingit. Sic igitur, cum quis dicitur sedere, ibi possunt coniungi, duo, scilicet quod habeat talem dispositionem sui corporis, & quod habeat sedem in qua sustentatur: prior ratio est, quæ per se pertinet ad prædicamentum situs, quam posset quis habere etiam in vacuo: posterior autem non spectat per se ad prædicamentum, quia non sumitur ex aliquo, quod se habeat per modum formæ, sed solum per modum causæ extrinsecæ sustentantis, vel potius impediens ne corpus aut partes eius ulterius descendant. Vnde si homo esset rectus in vacuo secundum dispositionem intrinsecam stare diceretur. Non quidem in ordine ad corpus extrinsecum sustentans sed quia ipse partes corporis inter se ita essent dispositæ & ordinatæ, sicut nunc sunt in homine, qui stare dicitur: quod à nobis explicari non potest, nisi per relationes aut effectus aliquos, scilicet, quia vna pars esset sub alia, & quasi sustentaret illam, vt pedes, crura, & sic de aliis. Neque aliter posset homo in vacuo constitui, saltem naturaliter.

SECTIO II.

Quæ subiecta, species, aut proprietates huius prædicamento tribui possint.

Hic breuiter expeditur reliqua, quæ de hoc prædicamento desiderari possunt.

De subiecto situs.

Primum est, quibus rebus attribui possit situs. Dicendum est enim in primis, non posse attribui rebus incorporeis, quia est dispositio totius, resultans ex ordine partium in loco: res autem incorporea non habet partes, sed tota est in toto, & tota in qualibet parte. Vnde non est satis, quod eius præsentia sit in aliquo modo diuisibilis, & habens partes in ordine ad spatium, quia cum tota substantia sit sub qualibet parte illius præsentia, nulla peculiaris denominatio aut situalis dispositio inde resultat in tali re, præter hanc, scilicet esse præsentem maiori vel minori spatio. Et ideo supra non diximus situm idem

Hhh 3

tificari